

ALBERTVS BAVARIAE DVX ET MONOCRATOR.



Albertus inclytæ Bauariæ ducis Vuilhelmi ex Iacoba Marchionissa Badensi filius extitit, qui natus est Martij anno 1528. Is à pueris optimis præceptoribus erudiendus Ingolstadij traditus, in eū principem euasit, qui postea instar reipublicæ Germanorum columnus conspicuus fuerit. Vt autem is felicissimo ingenio erat præditus, ita quoq; in iuuentute armis tractandis, & maximis ponderibus levandis alios æquales longè superabat. Accederat & religionis amor, atque studium concordia. Has uirtutes cum Ferdinandus rex in adolescente cōspiceret, ei filiam suam Annam lectissimam uirginem uxorem dedit, atq; nuptiæ Ratisbonæ anno 1546 in æstate peractæ, cum & Vuilhelmus dux Cliuensis eisdem solennitatibus cum sponsæ sorore Maria matrimonium contraheret, idq; medijs in turbis & bellorum motibus. Itaq; factum cum Vuilhelmus pater Cæsar is partes foueret, ut Albertus à Carolo 5 Imperatore aurei uelleris eques constitutus, prima militiæ tyrocinia bello Smalkaldico deponeret, atq; uictoria parta magnam fortitudinis opinionem sibi compararet.